

# TRACTATUS VI.

## DE VIRTUTIBUS

S. Th. 1. 2. qu. 55-67; Quaest. disp. de Virtutibus; in III Sent. Dist. 33.

Postquam egimus de actibus humanis, de eorum regulis in genere morum, quae sunt lex et conscientia, de eorum defectione ab illis regulis seu de peccato, iam nunc agendum de principiis quibus homo firmatur ad eliciendos actus regulae morum conformes, et ad declinandum a peccatis, i. e. de virtutibus. Quare dicemus: 1<sup>o</sup> de virtutibus in genere, 2<sup>o</sup> de virtutibus cardinalibus in specie, 3<sup>o</sup> de virtutum annexis seu de donis Spiritus Sancti.

### CAPUT I.

#### DE VIRTUTIBUS IN GENERE

##### *Articulus I.*

##### Notio et divisio virtutis.

264. — Notio. Virtus est quidam habitus perficiens hominem ad bene operandum. (S. Th. 1. 2. qu. 58. a. 3.) Explicatur:

1) Est *habitus* i. e. qualitas de se difficile mobilis; unde removetur a genere virtutis quiddid est mera dispositio.

2) *perficiens hominem*. Homo autem ad operandum indiget perfici habitu superaddito in omnibus potentiis quae sunt non ex se determinatae ad unum, sed se possunt habere ad multa; hae enim possunt agere vel non agere, bene agere vel male. Quare ut perfectae sint, indigent aliquo superinducto quo habitualiter inclinentur et firmentur in ordine ad operationem perfectam. Porro potentiae non determinatae ad unum sunt omnes et solae potentiae aliquomodo rationales, sive sunt rationales per essentiam ut intellectus, sive rationales per participationem, uti voluntas et appetitus sensitivus.<sup>1)</sup> Subiectum igitur virtutis sunt: 1<sup>o</sup> *intellectus*, tam speculativus quam practicus; in intellectu speculativo sunt v. g. virtus scientiae, virtus fidei; in intellectu practico prudentia; 2<sup>o</sup> *voluntas*, in qua i. a. est iustitia; 3<sup>o</sup> *appetitus concupiscibilis*, in quo i. a. est temperantia; 4<sup>o</sup> *appetitus irascibilis*, in quo v. g. est fortitudo.

---

<sup>1)</sup> 1. 2. qu. 61. a. 2. Voluntas autem et appetitus sensitivus non eodem modo sunt rationales per participationem: voluntas enim natura sua est in parte rationali animae, est appetitus correspondens cognitioni rationali; appetitus vero sensitivus natura sua est in parte non-rationali animae et correspondet cognitioni sensitivae: participat autem rationem in quantum natus est a ratione dirigi: semper tamen retinet propriam inclinationem, unde non obedit rationi ad nutum. Cfr. de Virt. qu. 1. a. 4. c.

3) *ad bene operandum*. Bene operari autem dupliciter sumi potest: vel potest dici bona operatio quando actus perfecte a potentia procedit, abstractione facta ab eo an bonum fuerit hic et nunc potentia uti et tali modo uti; sic v. g. opus artis dicitur bonum, si perfecte ab intellectu practico procedit, abstrahit autem ab eo utrum moraliter bonum fuerit hic et nunc tale opus facere; vel potest dici bona, quando et actus perfecte procedit a potentia et etiam *usus potentiae* bonus est. Iamvero virtus *perfecta* requirit dispositionem ad bene operandum secundo modo; quia haec non solum opus, sed et operantem bonum reddit; id quod est de ratione virtutis perfectae; haec enim est « quae bonum facit habentem et opus eius bonum reddit. »<sup>1)</sup> Dispositio priori modo dicitur virtus *secundum quid*.

Virtus *perfecta* est vel in voluntate vel in alia potentia secundum quod est mota a voluntate; etenim quod homo *actu* bene agat contingit ex hoc quod habet bonam voluntatem, quum voluntas moveat omnes alias potentias quae aliquomodo sunt rationales ad suos actus. Virtus perfecta regulatur recta ratione sive qua tali sive fide illustrata; et sic habetur virtus naturalis vel supernaturalis. Quatenus vero non recta ratio, sed ipse Spiritus Sanctus specialiter movet ad operandum, non habetur virtus sed donum, per quod quis iam non mere humano modo bene agit, sed divino impulsu operatur.

265. — *Divisio*. Virtutes imprimis dividuntur in virtutes *ordinis naturalis* et virtutes *ordinis supernaturalis*. Virtutes ordinis naturalis perficiunt hominem in ordine ad finem naturalem; vocantur *acquisitae*, quia homo propriis viribus eas sibi comparare potest. Virtutes ordinis supernaturalis perficiunt hominem in ordine ad finem supernaturalem; vocantur *infusae*, quia homo propriis viribus eas sibi comparare nequit, sed a misericordia Dei homini infunduntur.<sup>2)</sup>

Virtutes acquisitae ulterius dividuntur in virtutes *intellectuales* et *morales*, prout perficiunt intellectum vel partem appetitivam animae.

Virtutes infusae subdividuntur in virtutes *theologicas*, quibus bene disponitur homo circa ipsum finem supernaturalem, et in virtutes *morales infusas*, quibus bene disponitur circa ea quae sunt ad illum finem.

Virtutes theologicae et virtutes morales, sive acquisitae sive infusae, sunt virtutes *perfectae*; virtutes acquisitae intellectuales sunt virtutes *secundum quid*, excepta prudentia, quae est virtus perfecta.

## *Articulus II.*

### Virtutes acquisitae.

#### §. I. - VIRTUTES ACQUISITAE IN GENERE.

266. — *Acquisitio*. Virtus ordinis naturalis acquiritur actibus ipsius potentiae. Etenim potentia, eo ipso quod determinatur in actum suum,

<sup>1)</sup> De Virt. qu. 1. a. 5. c.; 1. 2. qu. 56. a. 3.

<sup>2)</sup> Hae sunt virtutes infusae *per se*; potest etiam Deus infundere virtutes ordinis naturalis, quae via ordinaria actibus acquiruntur; hae dicuntur *infusae per accidens*. De iis autem ulterius non loquimur.

quodammodo disponitur in idem; et cum multoties inclinatur, firmatur haec dispositio ita ut fiat forma quaedam stabilis. Quanto autem actio agentis est efficacior, tanto velocius inducit hanc formam.<sup>1)</sup>

A natura quidem inest communiter omnibus hominibus aptitudo ad virtutes et quaedam *inchoatio* earum, secundum quod insunt nobis a natura quaedam principia naturaliter cognita, tam scibilia quam agendorum, quae sunt quaedam *seminaria* virtutum, non tantum intellectualium, sed etiam moralium, in quantum voluntas naturaliter appetit bonum quod est secundum rationem; perfectio vero et consummatio virtutis non nisi ex actibus oritur. — Similiter specialis inclinatio quae alicui homini ex *naturali complexionem* inest ad actus huius vel illius virtutis non est virtus, nisi inchoative. Non est virtus, nam eo ipso quod naturalis est, per se subtracta est regimini rationis, a qua dirigi est de essentia virtutis. Est tamen virtus inchoative, quia aptitudinem praebet ad virtutem de facili comparandam.<sup>2)</sup>

267. — Effectus. Virtus acquisita efficit ut homo: 1° operetur *uniformiter*: virtute enim potentia habitualiter ad actum perfectum inclinatur; 2° operetur *faciliter*: quia habitu virtutis potentia aliquomodo ad unum inclinatur et per actus quibus orta est virtus simul difficultates externae et dispositiones contrariae sublatae sunt; 3° operetur *delectabiliter*, per habitum enim operatio fit quasi-naturalis et per consequens delectabilis.<sup>3)</sup>

268. — Augmentum et diminutio. *Augentur* virtutes, non per additionem, sed quatenus magis irradicantur seu potius magis actuant seu perficiunt subiectum.<sup>4)</sup> Hoc fit per repetitionem actuum: eadem enim est ratio augmenti quam acquisitionis. Secundum D. Thomam autem non augentur per omnes actus, sed tantum per actus eiusdem vel maioris intensitatis quam habitus. Actus minoris intensitatis potius disponit ad diminutionem.<sup>5)</sup>

*Diminuuntur* virtutes *directe* per actus contrarios repetitos, *indirecte* per cessationem ab actibus. Per actus contrarios enim repetitos vitium contrarium inducitur, per cessationem ab actibus impedimenta agendi facile crescere possunt ideoque usum virtutis difficiliorem reddere. Patet autem diminutionem posse pertingere usque ad plenam amissionem.

## § II. - VIRTUTES INTELLECTUALES.

269. — Notio et distinctio. Virtutes intellectuales eae sunt quae perficiunt intellectum tam speculativum quam practicum ad operationes suas bene eliciendas. Numerantur quinque: intellectus, scientia, sapientia, prudentia et ars.

<sup>1)</sup> Cfr. de Virt. qu. 1. a. 9. c. et ad 11.

<sup>2)</sup> Cfr. 1. 2. qu. 63. a. 1; de Virt. qu. 1. a. 8. c.

<sup>3)</sup> Cfr. de Virt. qu. 1. a. 1. c.

<sup>4)</sup> Cfr. Billot. de virt. inf. p. 27.

<sup>5)</sup> 1. 2. qu. 52. a. 3. Cfr. Prümmer. I. n. 469.

I. Intellectus, scientia et sapientia perficiunt intellectum *speculativum* ad veritates universales perfecte attingendas: *intellectus* perficit eum ad prima principia perfecte cognoscenda, sive sunt principia ordinis speculativi, et tunc vocatur intelligentia, sive ordinis moralis, et tunc vocatur synderesis; *scientia* eum inclinat ad conclusiones e primis principiis recte deducendas; *sapientia* intellectum disponit ad considerandum tam principia quam conclusiones prout habent ordinem ad altissimam causam.

II. Prudentia et ars perficiunt intellectum *practicum*. Intellectus practicus est intellectus, non prout veritates universales cognoscit, sed prout veritatem cognitam ordinat ad opus; hinc eius est, tamquam facultas dirigens alias potentias ad opus dirigere et applicare. Porro ita dirigit tam potentias appetitivas animae quam potentias apprehensivas sensitivas et potentias ad extra operantes. Iamvero, *prudentia* perficit intellectum practicum ad recte dirigendas potentias appetitivas, *ars* autem ad recte dirigendas potentias apprehensivas sensitivas, praesertim phantasiam (et sic constituuntur artes pulchrae) et potentias ad extra operantes (et sic habentur artes mechanicae).<sup>1)</sup> Cum autem actus potentiarum appetitivarum in homine sint actus morales — per appetitum enim tendit in finem suum — patet *prudentiam eam esse virtutem qua omnes actus morales rectae rationi conformentur*.

NOTANDA. 1<sup>o</sup> Actus appetitivae potentiae vocari solent agibilia, actus autem aliarum potentiarum supradictarum (utpote quae sint potentiae exsecutivae) factibilia; unde classica definitio prudentiae: *recta ratio agibilium*; et artis: *recta ratio factibilium*.

2<sup>o</sup> Virtutes intellectuales non sunt virtutes perfectae, sed tantum secundum quid; excipitur tamen prudentia quae perfectae virtutis rationem habet. Ratio, quia virtutes intellectuales non praebent bonum usum potentiae, sed tantum opus bonum reddunt; ratio exceptionis, quia prudentia dat et facultatem recte agendi et bonum usum facultatis. Cfr. supra n. 264.

3<sup>o</sup> Prudentia secundum essentiam est virtus intellectualis; materia autem eius, ut ex supra dictis patet, est omnino moralis. Quare ordinarie virtutibus moralibus annumeratur, eo vel magis quod intime, uti videbimus, hisce coniuncta est.<sup>2)</sup>

### § III. - VIRTUTES MORALES.

270. — Notio. Virtus moralis est virtus perficiens hominem in parte appetitiva ad appetendum in omnibus *bonum rationis*. Etenim, virtus moralis est virtus perficiens hominem in parte appetitiva ad bene operandum. Bona autem est humana operatio quando rectae rationi conformis est; ratio recta enim est regula humanorum actuum. Essentia igitur virtutis moralis consistit in hoc, quod appetitum bene disponat ad agendum in omnibus secundum rectum rationis iudicium, a. v. ad appetendum in omnibus bonum suum, prout a ratione iudicio practico recto sibi appe-

<sup>1)</sup> Cfr. Gredt. 1<sup>a</sup>. n. 93.

<sup>2)</sup> Cfr. Billuart. *De prud. Diss. 1. art. 1.*



tendum proponitur, seu ut succincte dicitur, ad appetendum in omnibus bonum rationis. <sup>1)</sup>

Ex hoc sequitur: 1<sup>o</sup> Actum virtutis moralis numquam poni posse, quin simul eliciatur actus prudentiæ. Ad hoc enim ut homo agat secundum virtutem moralem requiritur, non solum ut sit debita intentio finis virtutis, sed etiam ut homo recte accipiat ea quæ sunt ad finem. Hoc autem esse nequit nisi per rationem recte consiliantem, judicantem et præcipientem de iis quæ sunt ad finem; hi autem actus sunt actus prudentiæ.

2<sup>o</sup> Virtutes morales, ut dicitur, *esse in medio*, sc. in medio inter excessum et defectum. Potest enim homo in actibus suis modum rectæ rationis excedere vel ab eo deficere; virtutis moralis autem est eum ita disponere ut nec excedat nec deficiat, sed rectum medium inter utrumque teneat. Medium igitur virtutis moralis nihil aliud est quam rectitudo rationis. — Etiam prudentia illud medium servare debet, licet alio modo quam virtutes morales strictè dictæ; prudentiæ enim est illud medium ut regulantis, virtutis moralis ut regulatæ. <sup>2)</sup>

**271. — Distinctio. I.** Distinguuntur virtutes morales *secundum varias rationes boni honesti* quæ in actibus humanis inveniuntur. Distinguuntur enim, utpote habitus, per objecta formalia. Objectum formale autem virtutis moralis est bonum rationis seu bonum honestum. Secundum quod igitur bonum rationis seu bonum honestum diversum est, etiam specie diversæ sint virtutes oportet.

II. Porro diversitas boni rationis primum exsurgit ex diversitate objectorum earum potentiæ quibus tamquam subjecto virtutes inhærent. <sup>3)</sup> Sic ergo habentur: 1<sup>o</sup> *Virtutes inhærentes VOLUNTATI*. Voluntati autem inhærent virtutes non circa bonum proprium, sed tantum circa bonum quod est *ad alterum*. Ratio prioris quia ad bonum proprium voluntas natura sua tendit, ideoque quoad hoc virtute non indiget; etenim *qua appetitus* natura sua tendit in bonum suum, *qua appetitus rationalis* natura sua in bonum rationale. <sup>4)</sup> Ratio alterius quia ad bonum quod est ad alterum voluntas non tendit natura sua; appetitus enim naturaliter tantum ordinatur in bonum sibi. <sup>5)</sup> — Sic igitur in voluntate habentur virtus iustitiæ, religionis, gratitudinis etc. Tot ponendæ sunt virtutes specie distinctæ, quot habentur in iis quæ sunt ad alterum, bona ratione diversa.

2<sup>o</sup> *Virtutes inhærentes APPETITUI SENSITIVO, tam concupiscibili quam irascibili*, quibus hæ disponuntur ut firmiter et de facili obediant rationi nec voluntatem a rationis iudicio declinent. In hoc enim consistit bonum rationis in passionibus. Sic in concupiscibili v. g. est castitas, quæ eum moderatur ut secundum rectam rationem se habeat circa delectationes venereas; sobrietas et abstinentia, quæ idem efficiunt circa delectationes in cibo et

<sup>1)</sup> Cfr. *d<sup>e</sup> Virt. qu. 1. a. 8; qu. 5. a. 2; supra n. 31. II.*

<sup>2)</sup> *1. 2. qu. 64. a. 3. c.; 1. 2. qu. 58. a. 4.*

<sup>3)</sup> *D<sup>e</sup> Virt. qu. 1. a. 12. c.*

<sup>4)</sup> Disputatur utrum hæc rectitudo naturalis sit aliquid realiter distinctum a voluntate necne; et si affirmetur, quomodo tunc non sit virtus. Cfr. Salm. *Disp. 2. Dub. 3. n. 41. 42.*

<sup>5)</sup> Cfr. *1. 2. qu. 56. a. 6; d<sup>e</sup> Virt. qu. 1. a. 5. c.; ibid. qu. 1. a. 12. c.*

potu; in irascibili i. a. habetur fortitudo, quæ facit servare medium rationis circa timores et audacias, mansuetudo quæ circa iras etc. <sup>1)</sup>

**272. — Habitudo inter se. I. QUOAD CONNEXIONEM.** 1<sup>o</sup> *Nulla virtus moralis perfecta potest esse sine prudentia.* Etenim ad virtuose operandum non sufficit inclinatio ad finem virtutis — quæ directe habetur per virtutem moralem — sed etiam requiritur ut quis eligat ea quæ sunt ad finem; hoc autem fieri nequit sine prudentia quæ est conciliativa, electiva et præceptiva eorum quæ sunt ad finem. <sup>2)</sup>

2<sup>o</sup> *Prudentia perfecta non potest esse sine virtutibus moralibus.* Est enim virtus inclinans intellectum ad recte dirigendum appetitum ad fines ejus seu ad recte accipiendum ea quæ sunt ad finem virtutis. Atqui talis directio haberi non potest, nisi ipse appetitus bene se habeat ad fines suos, quia ex intentione finis virtutis procedit prudentia ad concilianda, elegenda et præcipienda ea quæ sunt ad finem. Sic v. g. ad habitualiter recte dirigendam voluntatem in iis quæ sunt ad alterum, requiritur voluntas firma semper agendi ea quæ recta sunt. Appetitus autem bene se habet ad fines suos per virtutes morales. Ergo. <sup>3)</sup>

3<sup>o</sup> *Virtutes morales perfectæ sunt semper connexæ,* sc. in prudentia. Est conclusio ex 1<sup>o</sup> et 2<sup>o</sup>. Non autem semper in eodem gradu insunt. Hoc dependet ab actibus quibus acquisitæ sunt.

NOTANDA. 1<sup>o</sup> Virtutes morales *imperfectæ* (i. e. inclinationes naturales vel dispositio quæ nondum pervenit ad perfectam rationem habitus) inter se connexæ non sunt, ita ut una absque alia haberi possit. Cum autem inclinatio naturalis, externe saltem, sæpe eundem actum producat ac virtus, interdum videri potest aliquis habere unam virtutem sine aliis: dum non habeat nisi inchoationem ejus.

2<sup>o</sup> Virtutes morales nullo modo connectuntur cum virtutibus mere intellectualibus si excipias synderesim; <sup>4)</sup> potest enim quis habere scientiam vel artem, et tamen carere omni virtute morali, et vicissim.

II. QUOAD DIGNITATEM. Virtutes morales non omnes ejusdem sunt dignitatis, ut patet; digniores enim sunt secundum quod objectum earum dignius est, seu secundum quod in eo majus bonum rationis elucet.

Quare: «*prudentia*, quæ perficit rationem, præfertur in bonitate aliis virtutibus moralibus perficientibus vim appetitivam in quantum participat rationem; et in his etiam tanto est una altera melior, quanto magis ad rationem accedit: unde et *justitia*, quæ est in voluntate, præfertur aliis virtutibus moralibus: et *fortitudo* quæ est in irascibili, præfertur *temperantiæ*, quæ est in concupiscibili, quæ minus participat rationem.» <sup>5)</sup>

NOTA. Virtutes intellectuales *per se* sunt digniores habitus quam virtutes morales, quia objectum rationis nobilior est quam objectum appetitus. Si autem considerantur *in ordine ad actum*, virtus moralis nobilior est, quia perficit appetitum qui alias potentias ad actum movet. <sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. *de Virt. qu. 1. a. 4. c.*, ubi S. Thomas late probat, etiam in appetitu sensitivo virtutes esse ponendas.

<sup>2)</sup> *1. 2. qu. 65. a. 1.*

<sup>3)</sup> Cfr. *1. 2. qu. 65. a. 1. c.*; *de Virt. qu. 5. a. 2. c.*; Billot. p. 149.

<sup>4)</sup> Cfr. *1. 2. qu. 58. a. 4.*

<sup>5)</sup> Ita S. Th. *1. 2. qu. 66. a. 1. c.* Cfr. et *1. 2. qu. 66. a. 3.*; *2. 2. qu. 81. a. 6.*; *ibid. qu. 161. a. 5. etc.*; *de Virt. qu. 5. a. 3.*

<sup>6)</sup> Cfr. *1. 2. qu. 66. a. 3.*

*Articulus III.*  
**Virtutes infusae.**

273. — **Notio et existentia.** Virtutes supernaturales infusae perficiunt hominem in ordine ad finem ultimum supernaturalem; tum quoad ipsum finem: et sunt virtutes *theologicae*; tum quoad ea quae sunt ad finem: et sunt virtutes *morales* infusae.

Virtutes *theologicas* a Deo in iustificatione infundi una cum gratia, fidei proximum est ex Conc. Trid. *sess. 6. c. 7. et can. 11.*, imo secundum nonnullos de fide. — Virtutes autem *morales* simul cum istis infundi sententia hodie dum communissima est theologorum. Nituntur Conc. Vienne[n]si, quod hanc sententiam supponit (Denz. *n. 410*); item catechismo Romano. <sup>1)</sup>

Ratio prioris est quia ad hoc ut homo perveniat ad finem ultimum supernaturalem non sufficiunt principia naturalia hominis, quum hic finis naturae vires excedat; unde oportet ut divinitus superaddantur homini aliqua principia supernaturalia, per quae ita ordinatur ad finem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem; haec autem principia dicuntur virtutes theologicae, et praecipua eorum est charitas, quae est principium meriti vitae aeternae. <sup>2)</sup>

Virtutes etiam morales simul cum theologice infundi suadet ratio: etenim, ut homo sit bene dispositus in ordine supernaturali, non sufficit ut bene se habeat relate ad ipsum finem huius ordinis, sed requiritur etiam ut bene se habeat circa ea, quae sunt ad finem. Hoc autem non fit per virtutes morales acquisitas; hae namque, ex principiis naturalibus procedentes, ad finem naturalem hominem ordinant; oportet igitur, ut divinitus ei infundantur aliae virtutes, proportionaliter respondentes virtutibus theologice tamquam principiis, bene disponentes in iis quae sunt ad finem. <sup>3)</sup>

274. — **Distinctio.** Distinguuntur, uti iam dictum est, in virtutes theologicas et virtutes morales infusas. Iamvero:

I. VIRTUTES THEOLOGICAE numerantur tres: fides, spes, charitas. Etenim, ut homo ordinetur in finem supernaturalem, oportet ut ipsi per principia supernaturalia superaddita proportionetur secundum intellectum et voluntatem. Hinc intellectui superadditur habitus fidei, quo intellectus speculativus in ordine supernaturali elevatur et perficitur. Voluntati autem superadditur: *a)* habitus spei, quo elevatur et perficitur voluntas ad tendendum in hunc finem tamquam possibilem ad adipiscendum; *b)* habitus charitatis, qui unit appetitum ipsi fini ut in se diligatur amore amicitiae. <sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Pars 2. c. 2. q. 39 et 40.

<sup>2)</sup> Cfr. S. Th. 1. 2. qu. 62. a. 1 et qu. 114. a. 4.

<sup>3)</sup> Cfr. 1. 2. qu. 63. a. 3; de Virt. qu. 1. a. 10.

<sup>4)</sup> Cfr. 1. 2. qu. 62. a. 3; de Virt. qu. 1. a. 12. c.

Vocantur hae virtutes theologicae, quia earum obiectum, primum saltem, est ipse Deus.

II. VIRTUTES MORALES INFUSAE distinguuntur secundum obiecta formalia. Obiectum autem formale est bonum rationis in quavis materia, sed non — uti in virtutibus acquisitis — bonum rationis iudicantis secundum principia naturalia, sed bonum *rationis*, fide illustratae, *iudicantis secundum principia supernaturalia*, i. e. fide cognita. Secundum quod ergo in aliqua materia bonum rationis sic iudicantis diversum invenitur, distincta virtus infusa ponenda est. Patet autem hoc obtineri in omni materia circa quam virtus acquisita haberi potest. Unicuique igitur virtuti morali acquisitae respondet specie distincta virtus moralis infusa.<sup>1)</sup> Sic habentur: virtus infusa prudentiae, iustitiae, fortitudinis, temperantiae etc.

NOTA. Cum virtus moralis infusa dirigatur prudentia infusa, sicut moralis acquisita prudentia acquisita, patet virtutes infusas eodem modo consistere in medio sicut illae. Virtutes autem theologicae per se non sunt in medio, quia in amando Deo, in sperando in Eo, in credendo Ei, per se (ex parte Dei) numquam potest homo excedere, cum Deus sit infinitae perfectionis. Cum autem homo debeat ferri in Deum secundum mensuram suae conditionis, per accidens (ex parte nostra) possumus excedere. Hinc non licet tempore inopportuno, quod deberet e. g. impendi rebus familiaribus, contemplationi divinarum veritatum se dare. Quare *per accidens* in medio esse dicuntur.<sup>2)</sup>

275. — Effectus. Virtus infusa duplicem habet effectum formalem: 1<sup>o</sup> *elevationem* potentiae; nam si actus supernaturalis est, et potentia supernaturalis sit oportet; 2<sup>o</sup> *inclinationem* (seu facilitatem, ut alii dicunt) *intrinsecam* ad suum obiectum; est enim de ratione virtutis ut inclinet potentiam ad actum perfectum.<sup>3)</sup> Non ergo praebet facilitatem externam, ut patet in peccatore iustificato, qui magnas habet difficultates in virtute exercenda. Ratio quia per se non aufert impedimenta externa. Ad hoc requiruntur actus repetiti eius virtutis. Ob eandem rationem non dat per se delectabilitatem agendi.

276. — Habitudo ad gratiam. Virtutes infusae omnino dependent a gratia sanctificante, a qua, tamquam a radice, emanant.<sup>4)</sup> Quare: 1<sup>o</sup> simul cum gratia *infunduntur*: quod valet etiam de fide et spe quatenus sunt formatae charitate; disputatur vero utrum habitus fidei et spei informis infundantur ante charitatem, quamprimum scil. homo actum harum virtutum eliciat.

2<sup>o</sup> Cum gratia *augentur*: nam unius rationis est augmentum et acquisitio. Augentur autem *omnes aequaliter*: omnes enim aequaliter se habent ad gratiam, quae est unica radix augmenti.

<sup>1)</sup> Salm. *de Virt. Disp.* III. *dub.* 1. § 4. n. 18. (t. 6. p. 340-341).

<sup>2)</sup> Cfr. 1. 2. *qu.* 64. a. 4. Prümmer. I. n. 463.

<sup>3)</sup> *De Virt. qu.* 1. a. 10. ad 14. Salm. l. c. § 5. n. 23-24. (p. 343. 344.) Cfr. etiam Mazzella. *de Virtutibus infusis* n. 58. *sequ.*

<sup>4)</sup> 1. 2. *qu.* 110. a. 4. ad 1.

Itaque per actum v. g. virtutis charitatis, non tantum haec, sed aequaliter omnes aliae virtutes augentur; actus enim ille non est *directe* meritorius augmenti charitatis, sed *directe* est meritorius augmenti *gratiae*, et quia gratia augetur, cum gratia omnes virtutes infusae incrementum accipiunt. Nec obstat in variis sanctis quasdam prae aliis externe emicare virtutes; hoc enim oritur e maiori assuetudine eliciendi *actus* talium virtutum.

3<sup>o</sup> Sicut gratia, *numquam directe diminuuntur: diminuuntur* autem *indirecte* per negligentiam actuum virtutum et per peccata venialia, quippe quibus disponatur homo ad peccatum mortale, ideoque ad amissionem gratiae.

4<sup>o</sup> Cum gratia *amittuntur*, sc. per peccatum mortale. Excipiuntur tamen fides et spes, quae etiam post peccatum mortale manent, licet informes; haec non amittuntur nisi per actus sibi contrarios.

277. — *Habitudo inter se. I. QUOAD CONNEXIONEM.* Virtutes infusae omnes, tam theologicae quam morales, intime inter se connexae sunt, ita ut, si excipias fidem et spem informes, una absque altera haberi non possit. Ratio patet: intima connexio omnium cum charitate. Haec enim est mater omnium virtutum et radix in quantum est omnium forma; forma autem ipsarum est quia movet et applicat omnes alias ad operandum propter finem ultimum supernaturalem.<sup>1)</sup> — Excipiuntur fides et spes, quae in statu imperfecto sine aliis esse possunt, ut iam dictum est. — Virtutes morales insuper connectuntur per habitudinem ad prudentiam infusam eodem modo ac dictum est de virtutibus moralibus acquisitis.

II. QUOAD DIGNITATEM. 1<sup>o</sup> Virtutes theologicae dignitate superant morales, quia earum obiectum nobilius est, sc. ipse Deus.

2<sup>o</sup> Inter theologicas eminet charitas, quia, quum sit de obiecto habito, se propinquius ad obiectum habet quam aliae, quae important in sui ratione quamdam distantiam ab obiecto.<sup>2)</sup> Spes autem dignior est fide, quia aequaliter movet affectum ad obiectum.<sup>3)</sup>

3<sup>o</sup> Morales inter se eodem ordine se habent quo morales acquisitae.

278. — *Habitudo ad virtutes acquisitas.* Loquimur hic tantum de virtutibus moralibus infusis, quas comparare intendimus acquisitis iis respondentibus. Cum hisce autem conveniunt materia circa quam et subiecto in quo sunt; differunt autem:

1<sup>o</sup> Quoad SPECIEM: Etenim virtutes specificè distinguuntur secundum specificam differentiam obiectorum formalium. Atqui obiecta formalia virtutis infusae et acquisitae specificè differunt: nam huius obiectum formale est bonum prout substat rationi iudicanti secundum principia naturalia; istius obiectum formale est bonum prout substat rationi, fide illustratae, iudicanti secundum principia fidei. Sic v. g. ut exemplo utar Divi Thomae « in sumptione ciborum

<sup>1)</sup> 1. 2. qu. 62. a. 4; qu. 65. a. 2; 2. 2. qu. 23. a. 7 et 8; cfr. infra n. 340,

<sup>2)</sup> 1. 2. qu. 66. a. 6. c.

<sup>3)</sup> De Virt. qu. 5. a. 3. c.



ratione humana modus statuitur ut non noceat valetudini corporis, nec impediatur rationis actum; secundum autem regulam legis divinae requiritur, quod homo castiget corpus suum et in servitutem redigat per abstinentiam cibi et potus, et aliorum huiusmodi. »<sup>1)</sup>

Ob aliam adhuc rationem specie differunt, sc. eo quod ad diversum *finem* ordinantur; per virtutes enim infusas homines bene se habent in ordine ad hoc quod sint cives sanctorum et domestici Dei; per acquisitas autem homo bene se habet in ordine ad res humanas.<sup>2)</sup>

2° Quoad CAUSAM: Acquisitae acquiruntur per frequentationem actuum, infusae per infusionem a Deo. Unde sequitur eas nullam connexionem habere inter se, nam ex una parte Deus potest infundere virtutes ei qui non pollet acquisitis, uti v. g. obtinet in infante baptizato; et ex altera parte acquisitae haberi possunt sine infusis; sc. in adulto in statu peccati mortalis. Ratio quia virtutes acquisitae utpote ordinis naturalis nullo modo exigunt donum supernaturale; et e contra ablatio virtutis infusae utpote doni ordinis supernaturalis nulla ratione secumfert ablationem qualitatis naturalis.<sup>3)</sup>

3° Quoad EFFECTUM duplex est differentia: a) virtus infusa non sicut acquisita dat inclinationem in actum, sed etiam elevationem potentiae in ordinem supernaturalem; b) virtus infusa praebet facilitatem tantum internam, non autem per se facilitatem externam; virtus acquisita utramque praebet.

279. — Notanda pro praxi. 1° Patet honestatem naturalem, in virtutibus acquisitis consistentem, et culturam intellectualem, quae a multis infidelibus et etiam a nonnullis catholicis liberalibus, uti aiunt, tantopere extollitur, ut eam sanctitati supernaturali longe praeferre videantur, non facere hominem simpliciter bonum et, nisi charitate informetur et imperetur, nullum habere valorem meriti vitae aeternae; quare fieri potest ut homo qui naturaliter, externe saltem, perfectus videatur, revera peccator sit et post vitam damnetur. Imo in tali homine, qui charitate supernaturali privatur, ipsae virtutes acquisitae non sunt *perfectae* virtutes; tum quia non reddunt hominem simpliciter bonum; tum quia prudentia perfecta, quam virtus perfecta supponit, stare nequit cum peccato mortali; tum quia homo in statu naturae lapsae atque peccati mortalis reus diu sine novo peccato mortali remanere non potest; <sup>4)</sup> haec autem proclivitas in peccata mortalia virtutem perfectam excludit.<sup>5)</sup> — Hinc etiam merito ab Ecclesia reprobata fuit opinio quae habebatur inter eas, quarum summam aliqui *Americanismum* vocant; cuius opinionis fautores « naturales virtutes praeter modum efferunt, quasi hae praesentis aetatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari praestet, quod hominem paratorem ad agendum ac strenuiorem faciant. »<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> 1. 2. qu. 63. a. 4. c.

<sup>2)</sup> Ibid. Cfr. etiam in III. Dist. 33. qu. 1. a. 2. sol. 4.

<sup>3)</sup> Quid frequentatio actuum conferat ad virtutem infusam cfr. 1. 2. qu. 92. a. 1. ad 1<sup>m</sup>.

<sup>4)</sup> 1. 2. qu. 109. a. 8. Cfr. infra vol. II. n. 270. qu. 1.

<sup>5)</sup> Cfr. Salm Disp. 4. dub. 2. n. 26; Billuart. de pass et virt. diss. 2. a. 4. § 3.

<sup>6)</sup> Leo XIII in Epistola *Testem Benevolentiae* ad Archiepisc. Baltim. 22 Jan. 1899. (*Acta Leonis XIII*, XIX. p. 13.) Cum hac erronea doctrina cohaeret distinctio inter virtutes activas (v. g. zelus animarum) et passivas (obedientia, humilitas, patientia etc.); quasi hae elapsis saeculis convenirent, istae cum praesenti magis congruunt. Quae distinctio in se philosophice falsissima est (omnes enim virtutes ordinantur ad actus) et in consequentis spiritui Evangelii prorsus contraria. Cfr. l. c. p. 14. Cfr. etiam Pius XI. 8. Iulii 1924) approbantem statuta ordinis Carthusiensis, revisa ad normam Codicis. (*A. A. S.* 1924. p. 384. 388.)

2° Curent animarum rectores, ut animae sibi concreditae actus *verae* virtutis, praesertim supernaturalis, eliciant, ob motivum nempe supernaturale, praesertim charitatis. Quod imprimis commendandum est iis, qui naturalem habent inclinationem ad actum alicuius vel aliquarum virtutum. Hi saepe imaginantur se magnam habere virtutem v. g. mansuetudinis, charitatis fraternae etc., dum e contra nihil est nisi quaedam virtutis inchoatio, e qua sine rationis discretione operantes frequenter, ut notat D. Thomas, peccarent. <sup>1)</sup> Discant igitur tali inclinatione et facilitate inde proveniente eum in finem uti, ut actus virtutum corresponentium, praesertim supernaturalium, saepe ponant.

3° Iudicium de gradu perfectionis alicuius virtutis nequit exclusive et cum certitudine formari ex externa facilitate vel difficultate cum qua exercetur. Externa enim facilitas, quamvis per se sit signum maioris virtutis potest provenire ex naturali quadam inclinatione; difficultas vero externa non necessario provenit ex defectu operantis, sed potest provenire ex magnitudine operis vel circumstantiis externis, atque haec si vincitur, potius intensitatem virtutis arguit. Nihilominus perfecta virtus solet cum facilitate operari. <sup>2)</sup>

## CAPUT II.

### DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

#### *Articulus I.*

#### **Virtutes cardinales in genere.**

280. — I. Virtutes morales omnes, inde a S. Ambrosio <sup>3)</sup>, a SS. Patribus et theologis reduci solent ad quatuor virtutes principiores, quae *cardinales* vocantur: prudentiam, iustitiam, fortitudinem et temperantiam. Iam innuuntur in Sacra Scriptura (Sap. VIII. 7): « Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet et iustitiam et virtutem (i. e. fortitudinem), quibus utilius nihil est in vita hominibus. »

II. Virtutes cardinales autem *tripliciter* considerari possunt: 1° Ut **CONDITIONES** QUAEDAM GENERALES, quae omni virtuti inesse debent. <sup>4)</sup> Sic in omni virtute debet esse prudentia, ne inconsideranter agat, iustitia ut operetur quod debeat in unaquaque materia, temperantia ne passionibus abripiatur, fortitudo ut contra labores et difficultates firmetur.

2° Ut **RATIONES** FORMALES multis virtutibus communes. Et sic sunt quaedam genera virtutum, quae alias sub se continent; ita ut « omnis virtus quae facit bonum in consideratione rationis, dicatur prudentia; et omnis virtus quae facit bonum debiti et recti in operationibus, dicatur iustitia;

<sup>1)</sup> *De Virt. qu. 1. a. 8. c.*

<sup>2)</sup> Cfr. supra n. 267; 1. qu. 95. a. 4. ad 2; 1. 2. qu. 114. a. 4. ad 2; 3. qu. 15. a. 2. ad 3.

<sup>3)</sup> *Exp. in Luc. l. 5. n. 49 et 62.*

<sup>4)</sup> 1. 2. qu. 61. a. 4.

et omnis virtus, quae cohibet passiones et deprimit, dicatur temperantia; et omnis virtus, quae facit firmitatem animi contra quascumque passiones, dicatur fortitudo.»<sup>1)</sup>

3<sup>o</sup> UT VIRTUTES SPECIALES, eae sc., quae versantur circa illam materiam in qua principaliter elucet una e rationibus formalibus superdictis. Sic dicitur «prudentia, quae *praeceptiva* est: iustitia, quae est circa actiones *debitas* inter *aequales*: temperantia, quae reprimat concupiscentias *delectationum tactus*: fortitudo, quae firmat contra *pericula mortis*.»<sup>2)</sup> Hoc sensu virtutem cardinalem semper intelligimus in iis quae sequuntur. Nota insuper nos loqui de virtutibus moralibus infusis, quamvis dicenda, mutatis mutandis, etiam valeant de acquisitis.

281. — III. Ceterae virtutes morales omnes ad virtutes cardinales reducuntur; duplici autem modo sese ad eas habent: vel ut partes subiectivae, vel ut partes potentiales.

1<sup>o</sup> Partes *subiectivae* virtutis cardinalis sunt species in quas dividitur. Sic v. g. ad temperantiam tamquam ad genus se habent sobrietas, abstinentia et castitas. Sola fortitudo per se iam est species infima, ideoque partes subiectivas non habet.

2<sup>o</sup> Partes *potentiales* virtutis cardinalis sunt eae virtutes quae quidem cum cardinali conveniunt in ratione formali, sed versantur circa materiam in qua illa ratio formalis minus perfecte elucet. Sic v. g. gratitudo convenit cum iustitia in eo quod est ad alterum cui secundum aequalitatem debitum reddit; sed ratio debiti minus perfecta est ac in iustitia, deficit igitur a parte stricti debiti.

NOTA. Praeter partes subiectivas et potentiales theologi cum D. Thoma distinguunt *partes integrantes* virtutum cardinalium; hae autem non «nominant per se virtutes, sed conditiones unius virtutis integrantes ipsam»; sunt praerequisita quaedam, quae «necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis.»<sup>3)</sup>

## Articulus II.

### Prudentia.

282. — Notio. Prudentia definitur «recta ratio agibilium», seu fusius: virtus perficiens intellectum practicum ad recte dirigendum appetitum in iis quae sunt ad finem.

Per virtutes enim morales appetitivae potentiae bene se habent ad fines suos, inclinantur enim ad appetendum bonum rationis.<sup>4)</sup> Sed, etsi virtus moralis praestat bonam habitudinem ad finem, non determinat media, quibus ille finis

<sup>1)</sup> 1. 2. qu. 61. a. 3. c.

<sup>2)</sup> S. Thom. l. c.

<sup>3)</sup> In III. Dist. 33. qu. 3. a. 1. sol. 1.

<sup>4)</sup> 2. 2. qu. 48. art. unic.

attingi debeat, a. v. quid sit agendum ut hic et nunc secundum rectam rationem operemur. Sic v. g. virtus temperantiae efficit ut quis velit secundum rectam rationem uti cibo et potu, sed ipsa non diiudicat quantum et quomodo sit edendum et bibendum hic et nunc. Hoc ei imponi debet a ratione practica. Haec autem, ut recte dirigat, perfici indiget virtute, quae virtus dicitur prudentia. Prudentiae igitur est appetitui recto, i. e. bene disposito ad finem, praestituere, ea quae sunt ad finem. <sup>1)</sup> Ex his patet officium prudentiae esse maximi momenti, cum omnis actus bonus necessario praesupponat actum prudentiae quo dirigatur. Idecirco a S. Bernardo iure vocatur: « moderatrix et auriga virtutum, ordinatrix affectuum et morum doctrix. » <sup>2)</sup>

283. — Actus prudentiae. Tres porro numerari solent actus prudentiae, quatenus sc. consideratur tamquam virtus generica: *consiliari*, *iudicare* de inventis et *imperare*.

Ratio practica enim ut recte appetitum dirigat in iis quae sunt ad finem, debet primum *inquirere* media, dein *iudicare* de medio hic et nunc rectae rationi consono, et ultimo per actum imperii appetitum ad hoc medium *applicare*. Principalior autem horum actuum est imperium quippe ad quem alii ordinantur et cuius formaliter est dirigere alias potentias. <sup>3)</sup> Quare imperium est actus proprius prudentiae, si ut virtus specialis consideratur. Circa alios actus ponantur aliae virtutes, partes sc. potentiales virtutis cardinalis prudentiae, de quibus cfr. n. 285. In actibus consilii et iudicii consistit recta conscientiae efformatio; imo iuxta plures actus iudicii prudentiae est ipsamet conscientia recta. <sup>4)</sup>

284. — Partes subiectivae. Species prudentiae sunt: 1<sup>o</sup> Prudentia *privata*, quae etiam monastica seu personalis audit; et est illa, qua quis seipsum regit in ordine ad bonum privatum:

2<sup>o</sup> prudentia *gubernatrix*, quae est illa, qua quis regit cum multitudinem, tum seipsum in ordine ad multitudinem. <sup>5)</sup> Haec autem subdistinguitur, prout distinguuntur multitudines. Hinc: a) *oeconomica* dicitur, quae ordinatur ad bonum domus vel familiae; b) *politica* est, quae ordinatur ad bonum commune civitatis; haec, quatenus est in principe qui subditorum actus dirigit in ordine ad hoc commune bonum, *regnativa* vocatur; c) *militaris* audit, quae ordinatur ad resistendum extrinsecis impugnantibus bonum commune civitatis. <sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 47. a. 6 et 7. Prudentia vero interdum dicitur praestituere finem virtutibus moralibus. Hoc ita intelligendum est ut finem praestituat concrete sumptum, non autem finem abstracte sumptum. Sic. v. g. finis temperantiae abstracte sumptus seu in communi solum dicit « temperanter comedere », sumptus autem concrete ad hic et nunc dicit comedere tantum, tale, tali tempore etc., servatis omnibus quae recta ratio dicat. Prudentia ergo supponit finem praestitutum primo modo, sc. per synderesin, sed praestituit illum secundo modo. Cfr. Cajetanum in 1. 2. qu. 66. a. 3. ad 3; Salm. l. c. n. 38; Jo. a S. Thoma. disp. 17. a. 3. qu. 2. in fine.

<sup>2)</sup> In cant. sermo 49. n. 5.

<sup>3)</sup> 2. 2. qu. 47. a. 8.

<sup>4)</sup> Disputationem hanc de re cfr. apud Rev. des sc. phil. et theol. 1921. p. 560; et periodicum « Divus Thomas » 1926. p. 106. Cfr. et supra n. 64, nota marg. l.

<sup>5)</sup> Cfr. Salmant. Arb. praed. n. 41. (t. 6. p. 439-440).

<sup>6)</sup> 2. 2. qu. 48. a. un.; qu. 50. a. 1-4.



NOTA. Sunt qui dicant prudentiam gubernatricem non esse virtutem simpliciter, sed potius artem. Sed hoc minus recte dicitur. Duo enim in regenda multitudine distinguenda sunt: 1° facultas bonum regimen externum constituendi, et haec quidem est ars seu potius complectitur diversas scientias et artes, sicut etiam datur ars ducendi exercitum etc.; 2° bonus usus illarum artium in ordine ad bonum commune, et ad hoc requiritur virtus prudentiae, quae, supponens appetitum rectificatum circa hunc finem per iustitiam legalem, utendo his artibus conformiter ad legem moralem consiliat, iudicat et praecipit de his, quae ad hunc finem conducunt. 1)

285. — Partes potentiales. Tres sunt prudentiae partes potentiales: 1° *eubulia*, quae rectificat actum *consilii*, unde definitur: habitus bene consultandi;

2° *synesis* et *gnome*, quae rectificant actum *iudicii*. Differunt autem istae in hoc quod *synesis* facit bene iudicare in iis quae fieri debent secundum regulas communes, *gnome* vero in iis in quibus regulae communes deficiunt, quae igitur secundum altiore regulam dirigi debent. *Gnome* proinde dirigit *epikeiam*. 2)

286. — Partes integrantes. Harum octo numerantur sc. *memoria*, seu recordatio praeteritae experientiae; *intellectus*, seu intelligentia recta praesentis status rerum; *docilitas*, importans affectum simul et promptitudinem discendi ab aliis; *solertia*, quae importat facilitatem acquirendi per seipsum rei aestimationem perfectam et inveniendi medium circumstantiis accommodatum; *ratio*, i. e. bona dispositio ad recte utendum intellectu; *providentia*, qua praesertim futura prospiciuntur; *circumspectio* seu attentio ad omnes operis circumstantias, ne aliqua requisita desit; *cautio*, qua praecaventur mala, quae facile bonis admisceri possunt. 3)

287. — Vitia opposita. Prudentiae vel eius partibus potentialibus vitia opponuntur per defectum aut per excessum.

I. VITIA PER DEFECTUM. 1° *Praecipitatio*, qua quis opus aliquod absque sufficienti deliberatione aggreditur. 2° *Inconsideratio*, qua sine debita attentione de mediis fertur iudicium. 3° *Inconstantia mentis*, i. e. sententiae mutatio ob nullam aut levem causam. 4° *Negligentia*, seu omissio diligentiae requisitae ad exsequendam rem deliberatam. Haec vitia, quae nomine generico *imprudentia* vocantur, praesertim ex luxuria oriuntur. 4)

II. VITIA PER EXCESSUM. 1° *Prudentia carnis* quae est excogitatio mediorum ad implendos motus naturae corruptae. 2° *Astutia*, quae ad finem sive bonum sive malum consequendum utitur viis simulatis et occultis ad proximum fallendum. Si fiat verbis, vocatur *dolus*; si factis, nuncupatur *fraus*, v. g. si mensura iusto minor est. 3° *Nimia sollicitudo temporalium*, quae habetur aut quando temporalia tamquam finis quaeruntur, excluso fine spirituali, aut quando superfluum studium ad ea procuranda adhibetur, aut quando aliquis timet ne, faciendo quod

1) Cfr. infra n. 290; 2. 2. qu. 47. a. 10 et 11; qu. 50. a. 4. ad 1; Salm. *Arb. praed.* n. 42.

2) 2. 2. qu. 51; Salm. l. c. n. 43. Cfr. supra n. 175. 176. et infra n. 290.

3) Cfr. 2. 2. qu. 48. art. unio.

4) Cfr. 2. 2. qu. 53. a. 6.



debet, necessaria sibi deficiant. 4<sup>o</sup> *Nimia sollicitudo futurorum, quae habetur, quando quis ante tempus opportunum de futuris est sollicitus. Haec vitia praesertim profluunt ex avaritia.* 1)

### Articulus III.

#### Iustitia.

288. — Iustitia ut virtus generica, uti supra vidimus, ea est, qua operationes ad alterum rectae rationi conformentur. 2 Recta autem ratio in iis quae sunt ad alterum, duo postulat: 1<sup>o</sup> ut reddatur alteri id quod ei debetur (ratio *debiti*): 2<sup>o</sup> ut illi debito, quantum fieri potest, satisfiat (ratio *aequalitatis*, sc. inter id quod redditur et id quod reddi debet). — Quare ratio formalis iustitiae maxime elucet in iis, quibus a) habetur ratio *stricti debiti*, cui b) ad *perfectam aequalitatem* satisfieri potest. Circa haec igitur ponenda est virtus specialis iustitiae. — Partes autem potentiales eius deficiunt vel a perfecta ratione aequalitatis, et sic habentur: religio, poenitentia, pietas, observantia; vel a perfecta ratione debiti, et sunt: gratitudo, vindicatio, veritas, affabilitas, liberalitas. 3)

Agemus: 1<sup>o</sup> de iustitia ipsa; 2<sup>o</sup> de partibus potentialibus deficientibus a parte aequalitatis; 3<sup>o</sup> de partibus potentialibus deficientibus a parte debiti.

#### § I. - IUSTITIA IPSA.

289. — Notio. Iustitia definitur: virtus inclinans voluntatem ad reddendum strictum debitum secundum aequalitatem, seu, quod in idem recidit: constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. 4)

De notione igitur iustitiae est: 1<sup>o</sup> quod sit *ad alterum*: haec enim est ratio generica omnis virtutis quae est in voluntate. (Cfr. n. 271).

2<sup>o</sup> quod respiciat *debitum* strictum seu *legale*, non mere *morale*. Porro debitum legale est ad quod reddendum aliquis vi legis a iudice potest compelli quia *ius* in altero supponit, qui ergo id ope iudicis exigere potest. 5)

3<sup>o</sup> quod reddat *ad aequalitatem*, quia si non ad aequalitatem reddatur, iuri alterius non satisfiat. Unde sequitur *medium rationis* quod iustitia sicut omnis virtus moralis servare debeat, esse *medium rei*, ut dicitur. Etenim in materia iustitiae recta ratio nil aliter exigere potest quam ut tantum reddatur, quantum reipsa debetur, a. v. non potest constituere medium nisi per aequalitatem ad rem debitam, seu, ut dicunt, per aequalitatem rei ad rem. 6) — In materia vero temperantiae et fortitudinis medium non determinatur a rebus, sed est id, quod pru-

1) Cfr. 2. 2. qu. 55. a. 8.

2) Interdum iustitia, sensu magis adhuc generali, sumitur pro complexione omnium virtutum.

3) Cfr. 2. 2. qu. 80. art. unic.

4) Cfr. 2. 2. qu. 58. a. 1.

5) 2. 2. qu. 80. a. un.; Salm. Arbor n. 57.

6) 2. 2. qu. 58. a. 10.

dentia attentis omnibus adiunctis constituit ut rectae rationi consonum. Hoc proinde erit modo plus, modo minus, modo sic, modo aliter, secundum diversitatem adiunctorum. <sup>1)</sup>

290. — **Partes subiectivae.** Communiter iustitia dividitur in iustitiam *generalem*, quae inclinatur ad reddendum debitum *communitati*; et *particularem*, quae inclinatur ad reddendum debitum personae *particulari*. Haec subdividitur in iustitiam *distributivam*, quae totum inclinatur ad reddendum debitum parti; et *commutativam*, quae est partis ad compartem.

I. IUSTITIA GENERALIS est ea quae inclinatur membra alicuius societatis ad reddendum debitum societati qua tali. Debitum autem societati redditur eo quod actus variarum virtutum in bonum commune ordinantur. Quare materia iustitiae generalis actus omnium aliarum virtutum completitur, quatenus sc. omnes in bonum commune dirigit. Hoc autem imprimis fit lege; unde etiam dicitur *iustitia legalis*. — Est autem tam in superiore quam in subditis. In *superiore*, in quo est principaliter, consistit praesertim in condendo leges opportunas, in tuendo ordinem socialem; in *subdito*, in quo est secundario, praesertim in servando leges, quae in bonum commune latae sint. <sup>2)</sup>

Debet autem subditus prosequi bonum commune, primo quidem simpliciter observando verba legis et mentem legislatoris verbis manifestatam; et hoc est *iustitiae legalis simpliciter dictae*. Deinde etiam, sc. in iis in quibus lex deficit, attendendo ad solam *mentem* legislatoris; iamvero, iustitia legalis hoc efficiens vocatur virtus *epikeiae*, quae considerari potest vel tamquam species quaedam distincta iustitiae, vel tamquam pars potior iustitiae legalis. <sup>3)</sup>

OPPONITUR iustitiae legali: 1° *materialiter*, omnis transgressio legum; 2° *formaliter*, et tamquam speciale peccatum, contemptus legis vel boni communis, sive ex parte subditorum, quando ex proposito agunt contra illud ut v. g. anarchistae; sive ex parte superiorum, quando bonum commune negligunt vel illi privatum bonum anteponunt. <sup>4)</sup>

Notanda. I. Sunt qui dicant ad mentem S. Thomae iustitiam legalem non esse partem subiectivam virtutis cardinalis iustitiae, sed sese ad iustitiam particularem, commutativam et distributivam, habere sicut totum ad partem, neque iuxta sed supra illam poni, utpote maioris dignitatis, sive ratione obiecti quod est bonum commune, sive ratione materiae quae est omnis virtus. Quia autem iustitia legalis est omnis virtus prout ad bonum commune dirigitur, ideo non est virtus quaedam particularis, sed generalis; neque ergo vere pars ullius virtutis cardinalis, ne virtutis quidem cardinalis iustitiae esse potest; quamvis sit ad alterum. <sup>5)</sup> Huc spectant verba S. Thomae: « iustitia legalis non est quaedam particula-

<sup>1)</sup> Cfr. Salm. *Arb. praed. n. 48. (p. 444).*

<sup>2)</sup> 2. 2. *qu. 58. a. 6. Cfr. Vermeersch. Quaestiones de Iustitia. n. 44. seqq.*

<sup>3)</sup> Cfr. 2. 2. *qu. 120. a. 2; Salm. l. c. 52-54; supra n. 176.*

<sup>4)</sup> Cfr. Lessius, *de Iust. Lib. 2. c. 1. n. 11.*

<sup>5)</sup> Ita Hering. *Angelicum. 1937. p. 464. seqq.*

ris virtus, sed ad eam pertinet tota virtus.»<sup>1)</sup> «Iustitia secundum quod est idem quod omnis virtus, non est virtus cardinalis.»<sup>2)</sup> «Duplex est iustitia: una enim est iustitia quae est virtus cardinalis, quae dicitur iustitia specialis; alia est iustitia legalis quae includit omnem virtutem.»<sup>3)</sup> Nihilominus iustitia legalis ad virtutem cardinalem iustitiae reduci solet, quatenus ratio iustitiae in ea verificatur: reddit enim alteri, Communitati scil., debitum strictum secundum aequalitatem relativam proportionis personae ad Communitatem seu concordantiae cum lege.

II. Iustitia vindicativa probabilius etiam pertinet ad iustitiam *legalem*, quatenus per eam ultio ordinatur in bonum commune; quatenus vero in puniendo poena culpae adaequatur, videtur esse actus iustitiae *commutativae*.<sup>4)</sup> Alii autem eam reducunt ad iustitiam distributivam.

III. Iustitia socialis, de qua in Enc. *Quadragesimo Anno*<sup>5)</sup> et *Divini Redemptoris*<sup>6)</sup> aliisque documentis pontificiis saepe sermo est, secundum illa documenta simul cum caritate sociali fundamentum esse debet reformationis vitae socialis modernae ita ut contineat solutionem sic dictae *quaestionis socialis*. Iamvero iuxta aliquos haec iustitia socialis identificatur cum iustitia in genere ita ut generalem et particularem tam distributivam quam commutativam comprehendat; alii est complexus iustitiae generalis et distributivae tantum; alii tali modo de ea loquuntur ut etiam includat obligationes aequitatis et caritatis. Confusio ex eo provenire videtur quod omnes istae virtutes aliquando a virtute sociali imperantur. Alii statuunt iustitiam socialem semper imponere strictum aliquod debitum iustitiae, sed distinctum a debito iustitiae sive generalis seu legalis sive distributivae sive commutativae ita ut novam speciem iustitiae introducant. Melius tamen iustitia socialis *quoad rem ad iustitiam generalem seu legalem reduci videtur* quia, sicut haec, respicit bonum commune societatis; ita tamen ut specialem aspectum huius iustitiae exprimat. Iustitia scil. socialis est iustitia generalis in quantum haec sese extendit ad campum vitae oeconomico-socialis; imperando propter bonum commune iustam bonorum materialium distributionem et restitutionem ordinis et cooperationis inter diversas societatis classes atque exigendo ut etiam in materia oeconomico-sociali opportuna leges ferantur.

291. — II. IUSTITIA DISTRIBUTIVA ea est, quae inclinat principem eiusque ministros ad distribuenda bona iuxta subditorum merita et necessitates; subditos vero ad acquiescendum distributioni iustae. Iustitia distributiva etiam, sed indirecte tantum, versatur circa *onera* distribuenda, quatenus sc. distributio onerum recidit ad quamdam bonorum partitionem; liberum enim esse ab onere habet rationem boni.<sup>7)</sup>

Iustitia distributiva servat aequalitatem *rerum ad personas*, quae consistit in proportionem rei distribuendae cum dignitate, merito, facultate et

<sup>1)</sup> In V. *Ethic.* l. 3. n. 911.

<sup>2)</sup> In III *Sent. D.* 33. qu. 2. a. 1. sol. 3. n. 152.

<sup>3)</sup> In *Matth.* c. 1. Cfr. et 2. 2. qu. 58. a. 5. ad 1.

<sup>4)</sup> 2. 2. qu. 108. a. 2. ad 1.

<sup>5)</sup> Die 15 Maii 1931; *A. A. S.* p. 177.

<sup>6)</sup> Die 19 Martii 1937; *A. A. S.* p. 65.

<sup>7)</sup> Cfr. Vermersch, o. c. n. 61; 1. 2. qu. 96. a. 4. c.

necessitate personae, quibus distribuenda est. Dicitur haec geometrica proportionalitas. <sup>1)</sup>

OPPONUNTUR iustitiae distributivae: 1° in superiore: *acceptio personarum*, quae in eo consistit quod in distributione bonorum communium propter rationes quae habitudinem partis ad totum non respiciunt v. g. amicitiam, consanguinitatem, alicui datur, quod alteri tribuendum erat; sic peccari potest in distributione munerum publicorum, in distributione cibariorum etc. uti v. g. tempore penuriae communis obtinet: — 2° in subdito: *murmuratio* contra iustam distributionem.

292. — III. IUSTITIA COMMUTATIVA ea est, quae inclinatur privatum hominem ad reddendum debitum strictum alteri homini privato, idque ad aequalitatem rei ad rem, ut sc. res quae detur, prorsus adaequet rei dandae. <sup>2)</sup> Dicitur commutativa quia fundatur praecipue in variis contractibus et commutationibus quae inter homines fiunt. Dicitur etiam iustitia stricta vel rigorosa, quia in ea magis quam in aliis speciebus insunt tria illa quae sunt de ratione iustitiae.

OPPONUNTUR iustitiae commutativae variae iniuriarum species, quibus ius proximi ad varia bona laeditur. De iis longe et late sermo erit in tractatibus de 5° usque ad 10<sup>um</sup> decalogi praeceptum.

293. — Partes integrantes. S. Thomas duas partes integrantes enumerat: *facere bonum* sub ratione debiti, quo aliquis constituit aequalitatem iustitiae; et *declinare a malo* sub ratione nocivi, quo aequalitatem iustitiae iam constitutam conservat. <sup>3)</sup>

## § II. - VIRTUTES DEFICIENTES A PARTE AEQUALITATIS.

294. — Sunt eae virtutes quae versantur circa debita, quibus, plene satisfieri non possit. Haec sunt: 1° debita erga Deum, uti patet: sic habentur virtutes *religionis* et *poenitentiae*; — 2° debita erga patriam et parentes: iis enim a quibus naturalè esse accepimus, non possumus aequale recompensare: sic habetur virtus *pietatis*; — 3° debita erga personas in dignitate constitutas; honoramus enim in iis virtutem aliquam, ob quam constitui debent; virtus autem non potest a nobis sufficienter recompensari; ideo iis numquam reddimus tantum honoris, quantum virtuti debetur, <sup>4)</sup> et sic ponitur virtus *observantiae*.

I. RELIGIO est virtus debitum cultum tribuens Deo, tamquam primo omnium rerum principio. Est virtus inter pure morales perfectissima, ratione scil. obiecti et debiti; quamvis iustitia praestet ratione aequalitatis.

<sup>1)</sup> 2. 2. qu. 61. a. 2.

<sup>2)</sup> 2. 2. qu. 61. a. 2.

<sup>3)</sup> 2. 2. qu. 79. a. 1.

<sup>4)</sup> Salm. l. c. n. 57.

Actus huius virtutis sunt aut *interni* aut *externi*. Actus interni sunt *devotio* et *oratio*, quorum primus ad voluntatem, alter ad rationem spectat. <sup>1)</sup> Actus externi sunt actus quibus Deum externe colimus aut per proprium corpus, et est *adoratio*: aut offerendo Deo aliquam rem externam, et sunt *sacrificium*, *oblatio* et *votum*: aut adsumendo aliquid ad Deum pertinens, sive *Sacramenta*, sive nomen Dei per *iuramentum* vel *adiurationem* vel *invocationem*, <sup>2)</sup> quae fit per orationem vel laudem.

De devotione, oratione, adoratione et oblatione dicitur in tractatu de primo praecepto Decalogi; de sacrificio, ubi de tertio praecepto et de SS. Eucharistia; de voto, iuramento et adiuratione et invocatione nominis Dei per laudem, ubi de secundo praecepto; de sacramentis suis iterum locis dicitur.

II. POENITENTIA est virtus inclinans hominem ad reparandam iniuriam, Deo ab ipso per peccatum illatam. Circa hanc virtutem conferatur tractatus de sacramento Poenitentiae.

III. PIETAS est virtus inclinans ad debitum officium et cultum exhibendum parentibus et patriae. Ei opponuntur a) per defectum, *impietas*; b) per excessum, *amor nimius parentum* et falsus *nationalismus*, uti vocant. <sup>3)</sup>

IV. OBSERVANTIA est virtus inclinans ad exhibendum debitum cultum et honorem personis dignitate praestantibus. Distinguuntur tamquam species observantiae. 1<sup>o</sup> *Dulia*, quae honorem reddit personae in dignitate constitutae. Apud theologos praesertim designat cultum Angelorum et Sanctorum in caelo; cultus B. Mariae Virginis *hyperdulia* vocatur. Duliae opponitur *irreverentia*. — 2<sup>o</sup> *Obedientia*, quae inclinatur ad obtemperandum honesto praecepto legitimi superioris, quia et quatenus est praeceptum tale. Huic opponitur *inobedientia*.

De pietate et obedientia agatur in tractatu de 4<sup>o</sup> Decalogi praecepto, de *dulia* in tractatu de 1<sup>o</sup> praecepto.

### § III. - VIRTUTES DEFICIENTES A PARTE DEBITI.

295. — Virtutes deficientes a parte debiti sunt quae attendunt non debitum legale sed *morale* tantum, ad quod homo tenetur, ex sola honestate virtutis, secundum n. 289. 2<sup>o</sup> Et tale debitum duplicem gradum habet secundum quod: a) aliud est tam necessarium, ut sine eo honestas morum conservari non possit; tale debitum respiciunt *gratitudo*, *vindicatio* et *veritas*; b) aliud est necessarium sicut conferens ad maiorem honestatem. sine quo tamen honestas conservari potest; tale debitum respicit *affabilitas* et *liberalitas*. <sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> 2. 2. qu. 82. a. 1; 2. 2. qu. 83. a. 1.

<sup>2)</sup> 2. 2. qu. 84. sequ.

<sup>3)</sup> De falso quodam nationalismo in Missionariis evitando, cfr. Encycl. *Maximum illud*. 30 Nov. 1919. (A. A. S. p. 440); Epist. Pii XI. 15 Iunii 1926, ad Vicarios et Praef. Ap. Sinarum regionis; de non antepoenendis studiis partium religioni deque falso conceptu Status seu Civitatis, ac si sibi esset finis ultimus et civis non nisi ad Civitatem ordinaretur, cfr. alloc. Pii XI. die 20 Dec. 1926. (A. A. S. p. 304. 518 et 523.) Cfr. et Alloc. Pii XI de nazismo in festo S. Eugenii, A. A. S. 1945. p. 159.

<sup>4)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 80. art. un.



I. GRATITUDO est virtus inclinans ad gratias exhibendas benefactori propter beneficium acceptum. Ei opponuntur: a) per excessum, *gratitudo indiscreta*, i. e. gratiarum exhibitio modo aut tempore non convenienti; b) per defectum, *ingratitudo*.

II. VINDICATIO est virtus inclinans ad iniuriam illatam ulciscendam, per debitam poenam. Haec autem virtus non est in persona publica *qua tali*, quippe quae debito stricto iustitiae teneatur ad ultionem; sed in persona privata, quae a iudice quaerit ultionem, non quidem animo nocendi (nam sic esset vitium contra charitatem), sed propter specialem honestatem, elucentem in debita poena pro iniuria infligenda.<sup>1)</sup> Nec inclinatur ad infligendam poenam per seipsum, sed tantum ad eam expetendam a legitimo iudice. Cfr. infra n. 344.

Opponuntur vindicationi: a) per excessum, *crudelitas* vel *saevitia*, b) per defectum, *nimia lenitas*.

Observa hanc virtutem communiter magis inservire ad moderandum appetitum vindicationis, quam ad eundem excitandum, atque saepe perfectius esse condonare iniuriam quam expetere ultionem; hoc autem non *semper*; recta enim ratio aliquando, propter bonum sive communitatis, sive ipsius delinquentis, dicitur poenam esse expetendam. (can. 1935. § 2.)

III. VERITAS seu veracitas est virtus inclinans ad veritatem mente conceptam fideliter significandam ad extra. Ad hanc virtutem revocantur *simplicitas*, qua idem ostenditur exterius, quod in corde habetur, et *fidelitas* in promissis. Opponuntur veritati: a) per defectum, *mendacium* et *simulatio*; b) per excessum, indiscreta manifestatio veri seu *revelatio secreti*. De veritate agemus in tractatu de 8<sup>o</sup> praecepto.

IV. AFFABILITAS seu amicitia est virtus inclinans ad hoc ut conversatio cum proximo sit comis et grata. Opponuntur ei: a) per excessum *adulatio*, qua quis nimis alteri placere desiderat, praeter debitum ipsum laudando; b) per defectum vero *litigium*, quo quis aliis praeter debitum contradicit.

V. LIBERALITAS est virtus inclinans ad elargiendas pecunias et res pecunia aestimabiles, secundum praescriptum rectae rationis. Ei opponuntur: a) per excessum, *prodigalitas*, qua divitiae distribuuntur plus quam permittit aut ei cui non permittit recta ratio; b) per defectum, *avaritia*, qua quis e nimio affectu erga divitias, omittit eas elargiri secundum rectae rationis praescriptum.

#### Articulus IV.

#### Fortitudo.

296. — Voluntas, uti supra n. 271 vidimus, ad bonum rationis appetendum ordinatur vel natura sua, si nempe agatur de bono proprio, vel, si tendat ad bonum alterius, virtute

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 108. a. 2; can. 1935. § 1.

cardinali iustitiae et huius annexis. Potest autem voluntas sic bene disposita in bono rationis appetendo impediri per passiones appetitus sensitivi; quare etiam appetitus sensitivus virtutibus perficiendus est et in bonum rationis ordinandus, ut sc. obediat rationi nec ei repugnet. Impeditur autem voluntas per appetitum sensitivum duplici modo: aut 1<sup>o</sup> per hoc quod ab aliquo delectabili *attractitur* ad aliquid aliud quam rectitudo rationis requirat; aut 2<sup>o</sup> per hoc quod voluntas *repellitur* ab eo quod est secundum rationem, propter aliquod difficile quod obstat. 1) Iamvero, circa primum appetitus sensitivus rectificatur *temperantia*, circa alterum *fortitudine*.

297. — Notio. Fortitudo, *generice* spectata, complectitur omnes virtutes quibus homo firmiter disponitur ut bonum rationis sequatur contra passionum motus ab eo deterrentes. Nullae autem passiones magis natae sunt detertere a bono rationis prosequendo quam eae quae oriuntur e periculis mortis. Unde virtus *specialis* fortitudinis ea est quae firmat hominem ut secundum rectae rationis ordinem se habeat circa *pericula mortis*, i. e. ea aggrediendo, si hoc recta ratio praescribat, firmiter ea sustinendo, si talis actus postuletur.

298. — Actus fortitudinis. Habet fortitudo duplicem actum: aggredi et sustinere; actus sustinendi versatur circa timores, actus vero aggrediendi circa audacias. 2) Quare passiones timoris et audaciae sunt propria materia fortitudinis; est igitur haec virtus in appetitu irascibili. Nota autem actum sustinendi esse principaliorem; difficilius enim est timorem reprimere, quam audaciam moderari. 3)

Inter omnes vero actus fortitudinis eminet *martyrium*, quod, ut est actus virtutis, definitur: *voluntaria perpessio cruciatus de se lethalis pro fide Christi*. Dicitur *voluntaria*, quia secus actus virtutis non est; quare martyrium infantium non potest dici actus fortitudinis. Cfr. de cetero quoad martyrium infra tom. II. n. 44-45.

299. — Partes fortitudinis. I. PARTES SUBJECTIVAS fortitudo non habet; pericula enim mortis qua talia sunt omnia eiusdem speciei; est igitur species infima.

II. PARTES INTEGRANTES numerantur quatuor, duo circa actum aggrediendi, sc. magnanimitas et magnificentia; duo circa actum sustinendi, sc. patientia et perseverantia. *Magnanimitas* in eo consistit ut quis promptum animum habeat ad aggrediendum, *magnificentia* in eo, ut non deficiat in executione illorum quae inchoavit. *Patientia* requiritur ne *difficultate* imminentium malorum animus frangatur; *perseverantia*, ne *diuturnitate* difficile homo fatigetur ad hoc quod desistat. 4)

III. PARTES POTENTIALES sunt ipsae partes integrantes, si referantur ad alias materias minus difficiles quam materia propria fortitudinis. Tunc enim conve-

1) 2. 2. qu. 123. a. 1. c.

2) 2. 2. qu. 123. a. 3.

3) *ibid.* a. 6.

4) 2. 2. qu. 123. art. un.

niunt ratione formali, quae est firmitas animi contra passionum motus, deficiunt autem quoad perfectionem eius. <sup>1)</sup>

Sic igitur: 1° *MAGNANIMITAS* est virtus inclinans ad operanda magna, magnoque honore digna, quatenus talia. Ei opponuntur: *a)* per excessum, *praesumptio*, inclinans ad magna supra vires aggredienda, *ambitio*, seu appetitus inordinatus honoris, *inanis gloria*, seu appetitus inordinatus gloriae; *b)* per defectum, *pusillanimitas*.

2° *MAGNIFICENTIA* est virtus inclinans ad opera magna magnis et proportionatis sumptibus exsequenda. Ei opponuntur, per excessum *consumptio*: per defectum, *parvificentia*.

3° *PATIENTIA* est virtus quae moderatur tristitiam in sustinendis malis infra periculum mortis. Ei opponuntur: *a)* per excessum, *insensibilitas*, qua quis malis, sive propriis sive alienis, minus movetur, quam recta ratio exigit; *b)* per defectum, *impatientia*, qua quis plus aequo tristitiae indulget.

4° *PERSEVERANTIA* est virtus inclinans ad firmiter persistendum in opere bono, non obstantibus molestiis, quae ex diurnitate actus proveniunt. Ei opponuntur: *a)* per excessum, *pertinacia*, quae facit persistere contra rectae rationis praescriptum; *b)* per defectum *mollities*, qua quis ex taedio difficultatis et diurnitatis a bono opere inordinate recedit; *inconstantia* qua absque ratione homo mutabilis fit in suo proposito.

## *Articulus V.*

### **Temperantia.**

300. — *Notio.* Temperantia, ut est virtus specialis, definiri potest: virtus quae moderatur appetitum circa delectationes, operationibus ad conservationem naturae individui et speciei annexas, i. e. circa delectationes cibi, potus et venereorum. Cum autem hae delectationes sint delectationes sensus tactus, etiam definitur: virtus moderatrix delectationum tactus. <sup>2)</sup>

Etenim, ratio formalis temperantiae in hoc consistit ut appetitum cohibeat ne per aliquod delectabile voluntatem a bono rationis abstrahat. Quae ratio formalis imprimis elucet in moderatione earum delectationum quae operationes sequuntur eas quibus conservatur natura individui et natura speciei, quippe quae delectationes omnium maximae sint: delectatio enim sequitur operationem naturalem, sed non sunt operationes magis naturales quam istae.

Temperantia, uti patet, est in concupiscibili. Eius actus homini maxime necessarii sunt, quia occasio eorum frequentissime occurrit et peccata facile perpetrantur. In genere temperantiae opponuntur: per excessum *intemperantia*, per defectum vero *insensibilitas*.

<sup>1)</sup> *ibid.* Nota hic virtutes potentiales non necessario esse in *eodem subiecto* in quo est virtus cardinalis. Imitantur enim *rationem formalem* virtutis cardinalis; sed talis imitatio inveniri potest in obiecto alius passionis. Sic. v. g. humilitas est in potentia irascibili et tamen reducitur ad temperantiam quae est in concupiscibili, quia huius modum formalem sequitur. Cfr. 2. 2. qu. 161. a. 4. ad 2.

<sup>2)</sup> 2. 2. qu. 141. a. 4. c.: cfr. tamen *ibid.* ad 5.

301. — Partes integrantes numerantur duo: 1° *verecundia*, per quam aliquis refugit turpitudinem, temperantiae contrariam; 2° *honestas*, per quam aliquis amat eius pulchritudinem. Temperantia enim prae aliis virtutibus decorem quemdam sibi vindicat, quia refrenat ea quae sunt infima in homine, ei convenientia secundum naturam bestialem, ex quibus maxime natus est deturpari.<sup>1)</sup> Verecundia et honestas igitur utpote partes integrantes non sunt proprie virtutes, sed conditiones necessariae ad perfectum actum virtutis. Cfr. supra n. 281.

302. — Partes subiectivae. Temperantia pro diversitate obiectorum in varias species dividitur. Et primo quidem in virtutes moderantes delectationes, operationibus ad conservationem *naturae individui* annexas sc. delectationes cibi et potus; secundo in virtutes moderantes delectationes quae operationes ad conservationem *naturae speciei* sequuntur seu delectationes venereas.

Priores sunt *abstinentia* (circa delectationes cibi, per quem intellige et potum non inebriativum) et *sobrietas* (circa delectationes potus inebriantis). Abstinentiae opponitur *gula*, sobrietati *ebrietas*, de quibus supra n. 251 iam egimus. Utrumque vitium est per excessum. Per defectum opponuntur *nimia abstinentia* et *nimia sobrietas*.

Delectationes venereas moderatur *castitas*, quae a S. Thoma<sup>2)</sup> in duas species dividitur, quarum altera dicitur *castitas simpliciter dicta*, altera *virginitas*, quae subiectum incorruptum inclinatur ad perpetuo abstinendum a delectatione venerea. Alii autem virginitatem non habent tamquam virtutem specificè distinctam, sed tantum ut statum perfectum virtutis castitatis.<sup>3)</sup> — Castitas etiam vocatur *puicitia*, quatenus sc. ordinem rationis ponit non in ipsa commixtione venerea, sed in omnibus actibus qui ad eam ordinantur, uti aspectus, oscula et tactus impudici. Pudicitia igitur non est virtus distincta a castitate.<sup>4)</sup> — Castitati opponuntur *luxuria* et *impudicitia*. De hac virtute et vitiis ei oppositis sermo erit in tractatu de 6° et 9° praecepto et in tractatu de Matrimonio.

303. — Partes potentiales.<sup>5)</sup> Cum pars potentialis virtutis cardinalis ea sit quae modum formalem eius imitetur in materiis secundariis, et modus formalis temperantiae consistat in refrenatione appetitus, quaecumque virtus quae moderatur appetitum in aliquid tendentem poni potest pars potentialis temperantiae. Porro, talis appetitus indigens moderatione invenitur:

1° IN ACTIBUS INTERIORIBUS ANIMI. Motus autem interiores animi in aliquid tendentes sunt a) motus voluntatis commotae ex impetu passionis; quem motum refrenat *continentia*, qua fit ut, licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur.<sup>6)</sup> — b) motus desiderii sciendi; omnis

<sup>1)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 143. art. un., una cum qu. 141. a. 2. ad 3<sup>um</sup>.

<sup>2)</sup> 2. 2. qu. 152. a. 3.

<sup>3)</sup> Cfr. IV Dist. 33. qu. 3. sol.

<sup>4)</sup> 2. 2. qu. 151. a. 4. c.

<sup>5)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 143. art. un.

<sup>6)</sup> Interdum autem continentia sumitur pro abstinentia a venereis. Cfr. 2. 2. qu. 155. a. 1, ubi S. Th. etiam probat continentiam non esse virtutem *perfectam*.

enim homo naturaliter scire desiderat; quem motum moderatur *studiositas*. Ei opponuntur per excessum, *curiositas*: per defectum, *negligentia*. — c) motus spei, qui est motus animi in magna tendentis.<sup>1)</sup> — Hunc motum refrenat *humilitas* quae inclinatur hominem ne immoderate tendat in excelsa. Ei opponuntur: per excessum *superbia*: per defectum, *nimia sui abiectio*. — d) motus irae, quem moderantur virtutes *mansuetudinis*, quae respicit ipsam iram, et *clementiae*, quae respicit effectum irae, quae est poena. Mansuetudini opponuntur: per excessum, *iracundia*: per defectum, *lentitudo*. Clementiae opponuntur: per excessum, *cruelitas*: per defectum, *nimia lenitas*.<sup>2)</sup>

2° CIRCA EXTERIORES MOTUS CORPORIS, et quidem: a) in seriis. Hos motus moderatur *modestia morum*: cui opponuntur: per excessum *affectatio*, per defectum *rusticitas*. — b) in ludicris. Hos motus moderatur *eutrapelia*: cui opponuntur: per excessum *scurrilitas*, per defectum *morositas*.

3° CIRCA EXTERIORES RES. Rectitudo autem rationis in his servatur *modestia cultus*, cui opponuntur: per excessum *luxus*, per defectum *negligentia*.

### CAPUT III.

#### DE DONIS SPIRITUS SANCTI

304. — Notio. Praeter virtutes infusas theologicas et morales homini a Deo infunduntur alii habitus supernaturales, quae dona Spiritus Sancti vocantur, quaeque efficiunt ut homo fiat bene mobilis a Spiritu Sancto. Dona simul cum gratia et virtutibus infundi, communis est theologorum sententia.

Et sane, ad perfectam hominis dispositionem in finem supernaturalem haec dona requiruntur. Etenim, cum in ordine naturali per virtutes acquisite perfecte ad finem suum connaturalem ordinetur, in ordine supernaturali per virtutes theologicas et morales hisce respondententes, quae secundum modum humanum procedunt, imperfecte tantum ad finem ordinatur; imperfecte enim per fidem cognoscimus, imperfecte per charitatem diligimus. Qui autem imperfecte tantum habet aliquam virtutem, non potest per se perfecte operari, nisi moveatur ab altero, perfecte hanc virtutem habente. Quare ad perfecte operandum in ordine ad finem supernaturalem non sufficit motio rationis, etsi fide illustratae, et virtutes per eam regulatae, sed requiritur motio specialis ipsius Spiritus Sancti cui homo subdatur.<sup>3)</sup> Si autem indiget moveri, ad perfectionem suam requirit habitus dispositivos ad hoc quod sit bene mobilis; qui quidem habitus a virtutibus distinguuntur quia secundum altiore instictum et regulam, ipsius scilicet Spiritus Sancti, procedunt. Hi autem habitus dona vocantur.

Itaque dona Spiritus Sancti ad hoc inserviunt, ut, quotiescumque ratio fide illustrata non sufficit ad actiones debite regulandas, ideoque requiritur specialis

<sup>1)</sup> 2. 2. qu. 161. a. 4.

<sup>2)</sup> Cfr. supra n. 295, ubi de vindicatione, cui in linea temperantiae clementia respondet. Cfr. etiam Salm. Arb. praed. n. 127.

<sup>3)</sup> Cfr. 1. 2. qu. 68. a. 2. Cfr. et Medina *i. h. l.*; cfr. praesertim Jo. a. S. Thoma in 1. 2. disp. 18. a. 2.



impulsus Spiritus Sancti ad illuminandum intellectum et voluntatem impellendam, homo facile et prompte huic impulsui superiori, qui modum humanum virtutum excedit, subdatur eique obediat. Sic dona sunt in adiutorium virtutum, perficiendo illud quod virtutes perficere non possunt. <sup>1)</sup> Tales autem casus saepe occurrunt in vita iustorum omnium, et praesertim simplices corde saepe per viam donorum diriguntur.

Patet autem actus donorum multo nobiliores esse quam actus virtutum moralium; isti enim sunt ab altiore motore, sc. ipso Spiritu Sancto, dum virtutes morales moventur ratione. <sup>2)</sup>

**305. — Divisio.** Septem numerantur dona Spiritus Sancti, secundum illud Isaiae xl. 2. 3: « Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. » Quatuor ex his perficiunt intellectum: intellectus, sapientia, scientia, consilium; reliqua voluntatem. Variis modis a S. Thoma inter se dividuntur, quos videsis 1. 2. qu. 68. a. 4 et 2. 2. qu. 8. a. 6.

**Definitiones singulorum donorum.** 1° INTELLECTUS est donum, quo disponitur homo ad facile et prompte *penetrandum mysteria fide*.

2° SAPIENTIA est donum, quo disponitur homo ad facile et prompte *contemplandum Deum causam altissimam* et secundum eam de omnibus iudicandum.

3° SCIENTIA est donum, quo disponitur homo ad facile et prompte *cognoscendum causas secundas* et de iis recte iudicandum.

4° CONSILIUM est donum, quo disponitur homo ad facile et prompte secundum impulsum Spiritus Sancti *iudicandum et imperandum*, quidnam in particulari sit agendum. Respondet igitur virtuti prudentiae.

5° PIETAS est donum, quo disponitur homo ad facile et prompte cultum et obsequium exhibendum *Deo ut patri*.

6° FORTITUDO est donum, quo disponitur homo ad facile et prompte cum magna fiducia aggredienda et sustinenda *quaecumque difficilia*.

7° TIMOR est donum, quo disponitur homo ad facile et prompte concipiendam profundam sed *filialem reverentiam* erga Deum, et consequenter intimum timorem offensae Eius. <sup>3)</sup>

**NOTA.** *Fructus Spiritus Sancti et beatitudines* non sunt habitus, sed actus sive virtutum, sive praesertim donorum. Fructus Spiritus Sancti sunt actus virtutis vel doni, qui et quatenus producant delectationem spiritualem in anima elicientis; beatitudines vero definiri possunt: actus eximii virtutis perfectae et praecipue doni perfecti, speciali modo conducentes ad aeternam beatitudinem. <sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> 1. 2. qu. 68. a. 8. *Sed contra*.

<sup>2)</sup> 1. 2. qu. 68. a. 8.

<sup>3)</sup> Cfr. quoad dona 1. 2. qu. 68, ubi de donis in communi, et 2. 2. qu. 8. 9. 19. 45. 52. 121. 139, ubi de singulis donis.

<sup>4)</sup> Cfr. 1. 2. qu. 69. 70.

